



† R. P. Secundus Velasco (1901-1928).

(*Prov. Hispan.*)

Qui in superiore fasc. pag. 292 litteras legit a Delegato Apostolico Sinarum ad defuncti matrem datas, profecto huius Patris iuvenis brevem vitam commentario nostro inseri non mirabitur; etenim, quamvis P. Velasco nondum in vinea Domini multum laboraverit nec gravibus muneribus functus sit, tamen virtute tantopere praestitit, ut *angelus* communiter vocaretur. Nōs brevi illa vita utimur, quam unus ex missionariis Sinensibus, R. P. Ios. Morán, nuper in periodicis foliis *El Perpetuo Socorro* (Nov., pag. 420-433) sub eloquenti titulo *Flores del Cielo* evulgavit.



Secundum Velasco Arina, hunc verum paradisi florem, Hispania protulit, et viculus quidem provinciae Alava ac dioecesis Victoriensis, cui nomen Quintana. Ibi d. 10 Iul. 1901 desideratissimus confrater natus est et eodem die renatus ex aqua et Spiritu Sancto.

Quantopere hic flosculus gratiae caelestis rore praevēntus fuerit, inde elucet, quod puer octennis, cum decretum illud diei 8 Aug. 1910 de prima puerorum communionem nondum latum esset, iam angelorum panem recepit, ac brevi post consuetudinem assumpsit una cum matre piūssima cotidie ad hoc sacrum convivium properandi.

Aliquot missiones a filiis S. Alphonsi in patria regione datae puero desiderium ingesserant huic Instituto nomen dandi. Tamen ob certas ra-

tiones d. 13 Sept. 1911 Victoriae collegium Fratrum Cordis Iesu ingressus est. At cum ibi se metam omnium votorum, sacerdotium, adipisci non posse intellexisset, d. 18 Ian. 1912 dictum collegium cum nostro iuvenatu Espinensi commutavit. Inde d. 7 Apr. 1915 ad alterum collegium praeparatorium, tum Conchae (*Cuenca*) condi coeptum, transiit.

Utrobique Secundus noster omnibus carus erat ob indolem bonam, mores optimos, ingenii praeclaras dotes, diligentiam, sinceramque pietatem. Ipse postea de his annis scripsit: « O dies infantiae meae in iuvenatu transacti, quot beneficia divina mihi contulistis! Nunquam vos oblivisci potero. Transistis sereni et pellucidi sicut limpidae aquae rivuli leniter decurrentis. »

Diei 31 Iul. 1917 Navam Regis ad domum novitiatus profectus est. Anni autem probationis priore parte nonnihil animo turbatus erat, existimans omnia et singula novitiis inculcata se servare non posse; paulatim vero melius perfectionis semitas cognoscens et miram huius rei simplicitatem, in fine anni cum alia tum haec proposita notavit, quae deinde fideliter in praxim deducere conabatur: « Firme mecum statutum est nunquam in anima peccatum veniale, quantumlibet parvum, nec minimam sanctae Regulae transgressionem permittere. »

Ita animo dispositus neoprofessus d. 25 Aug. 1918 Asturicam Augustam venit. Quotquot Fratrem Velasco in altioribus studiis cognoverunt, eum iudicarunt adulescentulum sanctum et Deo plane deditum. Novitius SS. Sacramentum omni horae quadrante visitare solitus erat; in studentatu idem facere prohibebatur, sed actu interno supplebat, et studiis finitis mox novitiatus praxim repristinavit. In annuis examinibus semper inter primores erat. Mire delectabatur musica sacra sacrisque Ecclesiae caerimoniis.

Faustissimus Fratri Velasco illuxit dies 11 Nov. 1923, *dies ordinationis sacerdotalis*, in cuius pervigilio haec verba chartae commisit: « Tandem advenit ille dies, cuius desiderium me tenet, ex quo coepi ratione uti, ille dies, quem familia mea semper pro summa huius mundi felicitate habuit! Mane descendet in me, ita spero, gratia divina cum omnibus suis miris effectibus. Utinam iam hodie me reddat seraphicum, ut cras tanta celsitudine sim dignus! Anima mea, exinde vel magis totam te Deo committe! »

Postquam vero in urbe episcopali Legionensi oleo sancto sacerdotii inunctus est et, Asturicam redux, ibi Deo primitias suas obtulit, calamo velociter scribenti cum alia tum haec notavit, sublimis cuiusdam poseos haud expertia: « O beatum diem dominicum, diem 11 Nov. 1923! Pridie nix alba terram contexerat, symbolum illius puritatis, quae in animis nostris requirebatur. Nox somni expers antecedebat illum diem Domini, et cum lux per mundum creatum diffundi inciperet, Spiritus Sancti lux animas nostras fulgentibus splendoribus immersit, et in frontibus nostris Dei claritas effulsit... Quam sinceram effudi lacrimas, cum primam benedictionem dilectae matri darem!... O divinam horam, cum insequenti die prima vice in sancta sanctorum intrarem, iussurus Deum meum de caelo in manus peccatoris descen-

dere!... Ex hoc die magis quam unquam alias dicere possum me Deo meo deberi; eius causa liber esse volo tanquam aquila, ut omni terreno amore solutus ad caelum purum desideriorum meorum evolem. Cupio esse lilium paradisi eius, puritatis odore cor divinum delectans.»

P. Velasco d. 5 Aug. 1924, studiis absolutis, ad communitatem transiit, et festo Assumptionis prima vice ei licuit e sacro suggestu celebrare caeli Reginam, quam affectu tam tenero prosequeretur. Die 23 Aug. collegio Asturicensi valedixit et Navae Regis cum aliis 27 confratribus interfuit communibus exercitiis spiritualibus. Tandem d. 5 Sept. in collegium Espinense advenit, ut ibi iuvenes nostros primum linguam latinam, dein litteras liberales doceret.

Iam audiamus, qua ratione carissimus confrater ad *missionem Sinensem* vocatus sit, nam facile ibi Dei manum cognoscemus. Inde a prima aetate, lectis periodicis missionibus, apostolatam inter infideles, maxime Sinenses, exercendum anhelaverat, et die professionis perpetuae (15 Sept. 1922) cum patris spiritualis venia peculiari voto se ligaverat non opponendi ullam difficultatem, si unquam Superiores sibi talem missionem proponerent, immo in hunc finem se ipsum offerendi. Exinde in gratiarum actione cotidie id Deum rogabat. Hanc animi sui dispositionem etiam Rm̃o P. Generali manifestavit, cum is mense Iulio 1927 in Espino de nova missione Sinensi locutus esset. Qui oratorem ad Provinciam suam remisit, et Pl. R. P. Mutiloa: «Videbimus,» inquit; «si non ipsum vexillum Congregationis, saltem vexilli fimbrias in Sinis gestare poteris!» Et nunc angelicus iuvenis ab ipso Deo electus est non modo «*el portabor las*», sed «*el portaestandarte*» nostrorum longinquae Asiae apostolorum!

Patribus Rodríguez et Morán ad Sinarum missionem nominatis, P. Velasco statim, sincera caritate motus, eis gratulabatur, nec tamen tacuit suum ipsius desiderium. Die 17 Dec. accepit chartulam, qua P. Rodríguez ei nomine P. Provincialis nuntiabat nunc quidem scholam iuvenatus esse impedimentum insuperabile, sed cursu scholari finito ei iam fore licitum confratres sequi. P. Velasco suum *fiat* dixit; at incipiens d. 20 Ian. exercitia spiritualia quinque dierum, simul incepit preces novendiales ad S. Theresiam a Iesu Infante, ut per Matris de Perp. Succ. eiusque intercessionem profectiois expetitae dies maturaretur. Et ecce, novenae die quarto, cum Pater coram SS. Sacramento preces funderet, accipit chartulam Pl. R. P. Consultoris Gen., mandantis, quam primum Romam veniret atque inde Sinam peteret. Visum enim erat Rm̃o P. Generali tres saltem Patres statim in illam missionem mittere.

Itaque P. Velasco d. 4 Febr. patriam amatam reliquit, et postquam per aliquot hebdomades in Alma Urbe commoratus est, d. 24 Febr. cum duobus sociis Marsiliae navem conscendit. Ipse postea sesquimensis iter

iucunde in Provinciae suae foliis enarravit, reticitis tamen eximiae suae virtutis exemplis. Ita cum certis diebus calidissimis vestimenta hiemalia ei summe molesta essent, admirabili cum patientia hoc incommodum perferrebat.

Vix Pekinum pervenerat, cum difficillimae linguae studium summa diligentia et haud mediocri cum successu aggressus est. Quid vero dicamus de eius praeclara morum probitate? Pluries audiebantur haec similiae dicta: «Hic Pater in omnibus suis actionibus vir sanctus est; ipse habitus corporis sanctitatem spirat; potius *angelus* quam homo esse videtur.» Delegatus vero Apostolicus post eius mortem ait eum, licet vix quinque menses Pekini vixerit, bono suo exemplo *apostolatam* fecundum exercuisse. Etiam Congregationi nostrae sic venerationem et amorem conciliavit.

Die 22 Aug. in honorem Delegati Apost. Iaponis, Illm̄i Giardini, hospitis Illm̄i Celsi Costantini, Illm̄us Fabrègues, Coadiutor Vicarii Apost. Pekinensis, universum clerum urbis invitavit, et quamquam confrater noster minus belle se habebat, tamen solus domi manere noluit. In Pei-t'ang igitur 55 missionarii una congregati erant. Vespere illius diei P. Velasco, domum redux, aestu febrique iactabatur. Quae cum non diminueretur, postmodum ad nosocomium gallicum S. Michaelis translatus est.

Febris causam cum typhum esse deprehendissent, in porta aegroti gallice, anglice et sinice scriptum: «Ingressus prohibitus!» Tamen bona Soror a Caritate duobus confratribus portam aperiebat. Die dominico, 26 Aug., aegrotans sua sponte morientium sacramenta expetivit. Itaque Domini corpus, quo mane iam in s. communionem nutritus erat, vesperi ut *viaticum* accepit, et tanta quidem cum devotione et pace, ut omnibus adstantibus fletus moveretur. Publice etiam defectuum suorum veniam petiit, et ait se mori contentum et libenter se vitam offerre pro Ecclesia, Congregatione nostra, confratribus in patria et in Sina viventibus, maximeque pro nova Congregatione Discipulorum Domini. Meminerat quoque expressis verbis dilectae matris, P. Generalis, P. Provincialis, Delegatique Apostolici.

Alia dicta perpulchra his diebus ex eius ore audita sunt, velut cum fer. II dixit: «Canticum meum coram Domino erit; non quod mori velim — mori et vivere mihi idem est — sed semper adorandam Dei voluntatem cantabo per unionem voluntatis meae cum divina voluntate. *Spiritus promptus est.*» — Fer. III humilis Redemptorista tres Ecclesiae Praesules ad lectum suum vidit, et novo quidem Vicario Apost. de Suanhwafu, Illm̄o Teh'eng, se dolere ait, quod sui causa Congregatio Discipulorum Domini pauperrima damna materialia pateretur. Delegato Apost. Costantini: «Nunc», inquit, «Domne Illm̄e, vere me sentio filium Ecclesiae catholicae Romanae; atque Delegato Apost. Giardini: «Multum de Roma

et de Papa cogito.» Qui Praelatus promisit se Summo Pontifici de caro Patre narraturum.

Quae nunc dicturi sumus, nonne ex aliqua vita Sanctorum desumpta esse videntur? Quadam nocte, cum Soror Helena cum P. Morán apud infirmum vigilaret, illa: «Pater,» inquit, «novistine secretum?» — «Quale?» — «Sanctus P. Velasco in pectore, supra cor, aliquas cicatrices gestat, in litterarum forma, quae clare sonant IESU!» Revera ita esse postea etiam P. Morán videre potuit. Litterae erant quattuor centimetra circ. altae, cultro, non igne productae esse videbantur; cicatrices autem arguebant plagas olim sat profundas fuisse. Quando hunc actum heroicum desideratissimus confrater posuerit, nescimus.

Iam non mirabimur talem heroem morti proximum in mediis doloribus pluries verba Apostoli sua fecisse: *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia* (Col. 1, 24), et disciplinam aliasque castigationes sibi efflagitasse, ad reparandas offensiones Deo ab ingratis hominibus illatas. «Deus tam bonus et tam amans non amatur!» exclamabat. Penultimo vero vitae die quacumque condicione cilicium sibi apponi voluit, inquires: «Sancta Regula id non praecipit quidem, at commendat. Sufficit autem praxim aliquam per Constitutiones et Superiores commendari, ut Redemptorista eam adimpleat, si modo possit.»

Alias exclamabat: «Oh, pati, pati pro Christo, pati ad salvandas miseris animas, pati pro tot peccatoribus Deum meum offendentibus! Sed quid valent passiones nostrae? Nihil sunt; attamen *per Ipsum et cum Ipso et in Ipso!* Ita quidem, *per crucem ad lucem, per lucem ad triumphum!*» — Fer. VI Sororem rogavit, ut sibi nostram vestem indueret. «Eam desidero, quia pro me est vestis omnium pulcherrima. Sane, desidero esse Redemptorista per totam aeternitatem!»

Omnibus aegritudinis diebus s. Rosarium recitabat tanto pietatis ardore, quasi Beatissimam Virginem sibi adstantem videret. Famuli autem hospitalis, Sinenses iuvenes catholici, affirmabant: «Deus et Deipara ac omnes Sancti paradisi hic praesentes esse videntur; nos quidem eos non conspicimus, Pater vero eos videt et cum iis loquitur.»

Fer. VI, quasi saltu a priore themate facto, exclamaverat: «Sabbatum, sabbatum noster dies est! O quam gratum mihi esset sabbato mori!» Hanc gratiam desideratam confrater noster obtinuit. Advenit dies 1 Sept., sabbatum, tertius dies novenae ante festum Nativitatis B. M. V., et iam mane P. Velasco animam agere videbatur, ita ut P. Morán vocaretur ad commendationem animae recitandam. Postea vero moribundus paulo meliuscule se habebat. Per totum diem duo confratres ei aderant. Hora 9 vespertina P. Superior Rodriguez, valde fatigatus, domum rediit, quia mors tum non videbatur multum vicina. Sed brevi post denuo bonus Pater

in placidam agoniam intrabat. Respirabat magnis intervallis. P. Morán continuo eius manum tenebat. Tandem hora 10.08 carissimus confrater tradidit spiritum, ore leniter subridente. Vixerat annos 27, mensem unum, dies 20. Medici attestatio sonat: « Mortuus est consumptus feбри typhi, cui nephritis, miocarditis ac meningitis accessere. » R. I. P.

Cum nos Romae, quadragesima ineunte, carum P. Velasco ultimum amplexati sumus, certe non cogitabamus eum, dimidio anno vix elapso, hanc terram iam relicturum, et multo minus cogitabamus in longinquis plagis Sinensibus tres Episcopos eius funus nobilitaturos! Sed nolumus repetere ea quae ipse Delegatus Apostolicus Costantini de huius funeris sollemnibus tam apte scripsit (fasc. 5, pag. 292). Melius autem has paginas memorativas finire non posse nobis videmur quam verbis illis ex liturgia iuvenis martyris, S. Laurentii, desumptis: *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt*, atque verbis ipsius divini Redemptoris, morti suae proximi: *Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (Ioa. 12, 24 sq.). Utinam haec verba in desideratissimo P. Secundo Velasco denuo magnifice comprobentur!

Idem inclytus vir mox pulcherrimam epistolam consolatoriam ad defuncti matrem dedit, quam hic in confratrum aedificationem referimus, e sermone hispanico in latinum conversam.

I. M. I. A. T.

Pekino, die 4 Sept. 1928.

Dominae Benitae Arina, viduae **Velasco**

Victoriam (Vitoria).

Domina colendissima:

Acerbum mihi incumbit officium ad te scribendi ob mortem dilecti ac sancti filii tui, sed simul gratum, quoniam eius virtutem et sanctitatem admirati sunt, quotquot in his longinquis terris ei assistere potuerunt. Itaque eius obitus piissimus cum reliquis omnibus tum mihi profundi doloris causa fuit; etenim cum in eo vidissem singulares qualitates ad perficiendum magnum illud munus Patribus Redemptoristis concreditum, magnam spem in eo collocaveram, et cum, Deo ita permittente, morbus, qui « typhus meningitis » vocatur, eum corripuisset, nulli parcebamus remedio scientiae ad eum servandum. Verumtamen divinae Providentiae consilia homines latent, et Deus sine dubio eum iam caelo maturum videbat atque eius vitae sacrificium voluit esse velut lapidem angularem novae Congregationis missionalis Discipulorum Domini, reddens eum horum indigenarum omniumque Redemptoristarum Sinensium angelum tutelarem. Semper nobiscum manebit eius memoria, neque unquam eius virtutum insignium recordatio interibit. Qui ei ultimis momentis astiterunt, filium tuum hominem vere extraordinarium fuisse testantur. Transiit relinquens divinae bonitatis odorem. Ipse medicus, qui semper diligentissime eius curam gerebat, hac morte valde commotus est, et fortasse inde eius salus et conversio fortunate sequetur. Religiosa autem Soror a caritate, quae materno affectu eum curabat, asseveravit eum semper animo Deo unitum fuisse atque in omnibus angeli more se gessisse: immo ipsa vehementer cupit res, quas Pater, tuus filius, in usu habebat, velut sacras reliquias conservare.

Funus fuit sollemnissimum, et in Hispania certe non esset facta tanta celebratio. Ipse ego adfui cum duobus presbyteris, qui mihi a secretis sunt, item Episcopus loci Suanhwafu, Ill^mus D. Cheng, Episcopus Pekinensis, Ill^mus D. Fabrègues cum suo Vicario. Praeterea praesentes erant legatus Hispaniae et duo medici, qui eius valetudini inservierant, universa colonia Hispanica, Rector Athenaei Benedictini cum aliis tribus Patribus eiusdem Ordinis, socii reliquorum omnium Ordinum et cleri saecularis. Fidelium quoque magnus concursus factus est. Post exsequiarum sollemnia corpus humatum in peculiari missionarium caemeterio, ubi multi martyres Sinenses requiescunt, Patrum Lazaristarum proprio. Iuxta filium tuum sepulchrum alterius missionarii Hispanici, item ex dioecesi Victoriansi, sed O. F. M., invenitur.

Cum Seminarium Discipulorum Domini plene constitutum erit, Patris Velasco corpus eo translaturus sum, in ipsa ecclesia, si fieri potest, sepeliendum, ut tamquam angelus pacis novae Congregationis sit custos.

Istas litteras scribo, ut ostendam me tibi ex animo condolere, et ut tuum matris dolorem consoler. Cogitare enim debes filium tuum mortem iustorum occubuisse et certo iam gaudere praemio et mercede caris suis virtutibus comparata.

Vale, et Dominus te benedicat.

*Celsus Costantini, Archiepisc. Theodosien.
Delegatus Apostolicus ad Sinenses.*

In foliis periodicis *El Perpetuo Socorro* P. Velasco, longissimi itineris vicissitudines enarrans, in fasc. mensis Septembris (pag. 350) concludit his verbis (quae quasi vaticinium sunt) *Per crucem ad lucem!*